

tere. Addo ultimo Patres Concilii Senonensis, cujus doctrinam tacite approbavit Concilium Tridentinum, expresse usos esse verbo *resistendi*, ut infra videbimus, ubi doctrinam hic datam amplius confirmabimus.

5. *Notatur contradictio Alvarez.* — Solum hic adnotabo contradictionem quam in sententia illius auctoris invenio; sentit enim hanc propositionem: *Liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum, potest resistere, si velit*, in omni sensu falsam esse, juxta suam sententiam, quia non potest facere sensum divisum, quia verbum *resistendi* compositionem involvit. Quod non aliunde colligi potest, nisi quia resistentia in re et actu non fit nisi facta compositione cum motione gratiæ, quia, non existente contrario, vel adversario, non est resistentia. Igitur quia resistentia actualis respectu motionis prædeterminantis est impossibilis, infert potestatem ad resistendum esse impossibilem, et consequenter illam propositionem: *Homo potest resistere efficaci motioni*, in omni sensu esse falsam, imo non esse capacem sensus divisi, et ideo falsam esse. Deinde etiam fatetur, actualiter dissentire motioni efficaci esse impossibile, quia idem est quod actualiter componere cum illa actum dissentendi. Et nihilominus contendit propositionem illam: *Liberum arbitrium a gratia motum potest illi dissentire*, admittere posse sensum divisum, et in eo esse veram. Quod quidem solum dixit, quia non potuit repugnare Concilio Tridentino; non est tamen consequenter locutus, quia non est minus de re impossibili potestas dissentendi motioni; quam potestas resistendi, nec *dissentendi* verbum minus involvit illam compositionem, quam verbum *resistendi*, ut ostensum est. Imo ipse fatetur æque falsas esse has duas propositiones de inesse: *Homo resistit motioni efficaci*, et: *Dissentit eidem motioni*, vel: *Homo abjicit illam*; ergo etiam hæ propositiones de possibili: *Homo potest resistere motioni, potest illi dissentire, potest illam abjicere*, sunt æque falsæ, et in omni sensu quem possunt admittere; vel si duæ posteriores sunt veræ, ut revera sunt, ex doctrina Concilii, etiam prima est vera, et propositiones de inesse non sunt impossibiles.

6. *Ultimi argumenti adversariorum pars prima, de concursu simultaneo.* — Ultimum argumentum, quo nos redarguunt, quia eadem difficultas habet locum in nostra sententia, quam nos per sensum compositum et divisum dissolvimus, tres habet partes, quibus sigillatim respondendum est. Prima est de concursu

simultaneo, quæ non est ad rem; tum quia Concilium expresse loquitur de motione prævia, quæ tempore vel natura antecedit liberam determinationem voluntatis; tum etiam quia est longe diversa ratio, nam auxilium simultaneum involvit liberum influxum voluntatis, sunt enim simul natura, imo et indivisibiliter eadem actio, et ideo nihil mirum est quod, illo posito, voluntas, et libere operetur simpliciter, et necessario ex suppositione, quia positio illius involvit liberum usum, et ita suppositio illa non est antecedens, sed comitans. Et consequenter necessitas non est absoluta, nec repugnans libertati, quia est consequens ad usum ejus.

7. *Declaratur differentia inter concursum simultaneum et motionem præviam.* — In quo est evidens differentia inter concursum simultaneum et motionem præviam, quæ ita breviter potest declarari, quia sensus compositus inter simultaneum concursum ad consensum, cum dissensu, includit formalem compositionem inter consensum et dissensum, et ideo qui dixerit: *Consentiens potest dissentire*, statim intelligetur in sensu diviso, quia alias diceret impossibilia, et quia nec consensus dicit habitudinem conjunctionis cum dissensu, nec e contrario, sed potius dicunt habitudinem repugnantiam inter se, et uterque dicit habitudinem conjunctionis cum eadem gratia, vel tentatione. At vero sensus compositus inter vocationem vel motionem præviam et dissensum, non dicit compositionem inter consensum et dissensum, sed inter principium consensus et dissensum, ad quod principium, tam consensus quam dissensus dicunt habitudinem conjunctionis, et ideo ille sensus compositus non solum non includit formalem repugnantiam, sed potius est necessarius ad veritatem propositionis, in qua simpliciter dicitur arbitrium vocationi, inspirationi, consilio, petitioni, vel motioni simplici posse consentire, vel dissentire, si velit. Immerito ergo nos arguunt, quod eadem distinctione sensu compositi et divisi, quam in illis impugnamus, ad nostram defensionem utamur. Respondemus enim esse eandem verbis, non sensu, vel, quod perinde est, nos non impugnare distinctionem secundum se, et absolute spectatam, sed abusum, vel malam applicationem ejus sine ullo delectu. Nam ad motionem præviam, ex qua sequitur necessitas antecedens, male applicatur; ad motionem autem concomitantem, ex qua solum sequitur necessitas consequens, optime accomodatur. In præsentem autem puncto, maxime

reprobamus usum illius distinctionis ad explanationem Concilii, cujus doctrina per malam applicationem illius distinctionis plane evertitur, cum Concilium aperte in sensu composito loquatur; quod nobis non obstat, quia, ut dixi, quando dicit: *Potest illi dissentire, vel abjicere illam*, non refert auxilium simultaneum, sed præviam motionem, ut in littera manifestum est.

8. *Pars secunda, de prædeterminatione morali.* — Secunda pars erat de prædeterminatione morali, de qua possumus imprimis respondere, illam objectionem nihil referre ad explanationem Concilii, quia illud non loquitur de motione prædeterminante, sive physice, sive moraliter, sed simpliciter de vocatione, qua homo converti potest, et ei resistere. Quia vero doctrina Concilii habere potest locum, etiam in vocatione moraliter prædeterminante, et ut res ipsa explicetur, dicimus ulterius prædeterminationem moralem, prout in superioribus, et lib. 3 de Auxiliis, declarata est, non esse prædeterminationem simpliciter, ideoque absolute non repugnare cum illa conjungi dissensum, ac proinde etiam in sensu composito verum esse, posse hominem illam abjicere, et illi dissentire, si velit. Satis enim efficax ad prædeterminandum moraliter fuit vocatio Pauli, et tamen Anselmus, exponens verba Orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua, de illa sic ait: In Paulo videtur cogens voluntas Dei, sed non est, quia licet sit prævisus, tamen voluntas erat libera, et ei resisteret, si vellet*, quia illa vocatio, secundum se et absolute spectata, non inferebat necessitatem etiam in sensu composito, ad quod fatendum, etiam Concilium Tridentinum cogit, quia indifferenter et universaliter de vocatione divina loquitur. Unde fit ex tali auxilio moraliter tantum prædeterminante non sequi infallibiliter consensum, utique per se et simpliciter, sed tantum secundum quid, id est, moraliter. Eo tamen modo quo illa prædeterminatio est antecedenter moraliter efficax, minuit profecto libertatem, sicut concupiscentia antecedens minuit illam, et ideo licet sic vocatus possit simpliciter dissentire, moraliter autem non potest. Et ita nulla est repugnantia in doctrina, sed magna consecutio, et tota doctrina Concilii est consentanea.

9. *Pars tertia, de vocatione congrua.* — Tertia pars erat de vocatione congrua, quæ ex dictis in superioribus expedita est. Distinguenda enim vocatio illa vel per se et secundum entitatem absolutam, vel prout involvit habitu-

dinem congruitatis. Priori modo spectata, non habet per se ac necessario quod sit efficax. Unde illi homo potest resistere et dissentire, si velit, idque velle potest, simpliciter loquendo, etiam in sensu composito, quia absolute non repugnat dissensum conjungi actu cum tota illa vocatione, totaque ejus entitate et virtute secundum se spectata, nec ex vi illius est infallibile quod sequatur consensus. Et ita omnia, quæ docet Concilium, in illa locum habent, in eodem sensu composito quem tradidimus, neque propter vocationem congruam, seu efficacem, nos explicamus Concilium in sensu diviso, etiam respectu illius, neque ad hoc utimur illo modo illa distinctione sensus compositi et divisi, at vero considerando vocationem congruam, ut congruam, et sub habitudine quam sub ea ratione involvit; et sub hac formalitate talis vocatio est gratia efficax, et illi resisti non potest, et simpliciter homo non potest illi dissentire, quia jam involvit sensum compositum. In quo sensu etiam est impossibile, hominem cum illa vocatione non consentire; sine præjudicio tamen libertatis, quia illa suppositio sub illa formalitate non est suppositio antecedens simpliciter, sed consequens, quia supponit usum libertatis futurum cum auxilio simultaneo. Et licet vocatio congrua, etiam ut congrua, præcedat influxum liberi arbitrii, ut in re ipsa datur, non tamen præcedit illum ut futurum, imo supponit illum in præscientia præsentem, et ex hac parte est suppositio concomitans, ex qua solum sequitur necessitas consequens, quæ libertatem quam supponit non aufert. Concilium autem Tridentinum non est locutum de vocatione hac sub illa formalitate congruitatis, sed simpliciter de vocatione, et inspiratione quam homo libere recipit, et ideo de illa, et de omni vocatione verum est, in sensu composito, posse hominem illi dissentire, si velit.

## CAPUT XXXVI.

EX ALIIS LOCIS EJUSDEM CONCILII TRIDENTINI EADEM VERITAS CONFIRMATUR, ET ALIIS OBJECTIONIBUS OCCURRITUR.

1. Quod hæcenus tractavimus est præcipuum testimonium quo ad confutandam physicam prædeterminationem, et consequenter nostram sententiam fundandam, uti solemus. Nec eorum reprehensionem veremur, qui mirantur adeo nos hoc testimonio permoveri, qui mirantur adeo nos hoc testimonio permoveri, qui mirantur adeo nos hoc testimonio permoveri, cum res (ut aiunt) sit clarissima, et facillima.



*me dissolvatur.* Hactenus enim nullam responsionem cogitare potuimus, nec in eorum libris legimus præter eas quas retulimus, quæ an sint claræ, vel satisfaciant, iudicio aliorum sapientium remittimus. Existimoque rem esse dignam Pontificis Summi declaratione; nam agitur de intelligentia ejusdem definitionis fidei contra hæreticos hujus temporis, ex cujus vera interpretatione, et Concilii gravissimi auctoritas, et sincera doctrina in articulis de gratia et libero arbitrio pendet. Possumus autem hoc aliis testimoniis et verbis ejusdem Concilii confirmare, quia, licet per se non convincant, juvant tamen, tum ad intelligendum mentem Concilii esse quam diximus, tum etiam ad confirmandam veritatem quam intendimus, per illationes valde urgentes ex principiis fidei ab eodem Concilio traditis.

2. *Expenditur locus Concilii, quod unusquisque justificatus accipiet suam justitiam juxta mensuram.* — Prædeterminatio physica ad unum, in re ipsa non differt a necessitate. — Primo, expendimus quod Concilium, cap. 7 ejusdem sessionis, ait unumquemque justificatum suam justitiam recipere secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. In quibus verbis solum ponderamus duas causas seu mensuras assignare Concilium quantitatis gratiæ, quæ unicuique homini in sua justificatione tribuitur. Primaria est voluntas Dei; secundaria est libera voluntatis nostræ cooperatio; frustra autem Concilium hanc secundam partem adjunxisset, si modus cooperationis nostræ in physicam prædeterminationem, tanquam in unicam radicem et causam, reducenda esset. Nam, licet verum sit gratiam infundi unicuique juxta mensuram dispositionis suæ, et dispositionem esse majorem vel minorem juxta uniuscujusque cooperationem, nihilominus, juxta illam sententiam, in unoquoque est major vel minor cooperatio, quia majori prævia motione prædeterminatur, quia sicut homo conatur ad volendum, quia prædeterminatur physice, ita magis conatur, quia intensius et fortius prædeterminatur: prædeterminatio autem datur major vel minor, non ex hominis dispositione, sed ex sola Dei voluntate. Imo (ut ipsi aiunt) entitas ipsa auxilii prædeterminantis non habet illam efficacitatem, nisi ut est instrumentum divinæ voluntatis efficacis et præficientis, ut voluntas creata tanto conatu, et non majori neque minori operetur; ergo supervacaneum et frivolum est

illas duas mensuras tanquam distinctas assignare; sed oportet dicere solam Dei voluntatem distribuentem unicuique prout vult, et gratiam, et dispositionem, et conatum ad illam, et prædeterminationem ad conatum, esse mensuram justitiæ quæ unicuique infunditur, quod certe valde alienum videtur ab illo modo loquendi Concilii. Unde etiam ipse Calvinus in illis verbis intellexit voluisse Concilium suam efficacem motionem damnare, quæ necessitet voluntatem ad cooperandum, ut refert Ruardus, dicto artic. 7; ostendimus autem prædeterminationem physicam ad unum in re ipsa non differre a necessitate.

3. *Confirmatur.* — Quod ita confirmari potest ex prædicta definitione. Nam si prævia gratiæ motio necessitaret voluntatem, etiam coefficientia voluntatis posset esse major vel minor cum eadem necessitate, et consequenter actus posset esse intensior et remissior, et illi posset etiam respondere habitualis forma gratiæ intensior, tanquam dispositioni physicæ, non vero ut dispositioni morali, quæ cooperationi ipsius hominis tribueretur, quia ipse non esset causa moralis illius majoris vel minoris conatus, sed sola motio divina. At vero eadem ratio est, si voluntas physice prædeterminatur ad tantum, vel tantum conatum, quia eo ipso quantitas potestatis non est in potestate morali ac libera voluntatis, quia si prædeterminatur ad conatum ut sex, impossibile est non conari ad illos gradus, et impossibile est plus conari; ergo superflue, et nomine potius quam re diceretur mensura gratiæ reduci in suo genere ad quantitatem cooperationis hominis, si illa non est in ejus potestate morali, sed a sola extrinseca motione ejusque quantitate pendet. Quocirca, cum Concilium duas quasi mensuras quantitatis justitiæ ponit, divinam scilicet voluntatem, et conatum humanæ voluntatis, tacite nobis innuit mirabilem virtutem et sapientiam Spiritus Sancti. Nam, licet sua voluntate in ordine suæ prædestinationis seu intentionis præfinit quantitatem gratiæ, quam unicuique infundere vult; nihilominus in executione hujus voluntatis ita se accomodat libertati humanæ voluntatis, ut illius libertati, per cooperantem et simultaneam gratiam adjuvandæ, determinationem ejus et modum determinationis cum tanto vel tanto conatu committat. Et ut unusquisque homo hoc faciat, ut ab intentione suæ voluntatis non discrepet, uniuscujusque voluntatem præparat, non prædeterminando, sed vocando unumquemque prout novit ei congruere, ut se dis-

ponat ad eam gratiæ quantitatem obtinendam, quam Spiritus Sanctus eam habere decreverat.

4. *Expenditur secundo locus Concilii, ubi docet præcepta Dei non esse hominibus servatu impossibilia.* — Secundo, expendi pro nostra sententia possunt verba ejusdem Concilii, in cap. 11, et can. 18, ubi docet ac definit præcepta Dei non esse hominibus ad servandum impossibilia. Nam hæc veritas cum necessitate physice prædeterminationis non potest subsistere respectu illorum hominum, qui de facto præcepta non servant. Quod ita breviter declaro: nam ut observatio præcepti sit possibilis homini, necesse est ut in eo instanti, in quo homo servaturus est, vel pro sua libertate violaturus præceptum, prius natura quam consensum vel dissensum circa observationem præcepti eliciat, simpliciter et proxime sit potens ad eliciendum actum voluntatis, quo observet præceptum; sed nullus, qui in eo instanti præceptum violat, habet in illo priori naturæ talem potestatem ad servandum præceptum; ergo nulli homini, de facto non servandi præceptum, est possibile facere illud. Consequentia evidens est. Major autem est manifesta, quia, ut actus sit liber, oportet ut potentia sit libera, ac proinde potens ad utrumlibet, pro eodem instanti pro quo actus fit, nam quod antea fuerit libera, parum confert ad libertatem præsentis actus, si in hoc jam potentia sua libertate privata est; ergo debet esse libera in ipsomet instanti in quo libere operatur; ergo etiam debet esse potens ad utrumlibet. Non potest autem hæc indifferentia esse in potentia, ut jam composita cum uno actu in eodem instanti, ut per se patet; ergo debet esse pro alio instanti, ut intelligitur facultas esse prius natura, quam unum vel alium actum eliciat. Nec sufficit quælibet potentia, sed debet esse proxime sufficiens ad utrumque, quia remota potentia simpliciter non est potentia, cum novo complemento indigeat, et ideo libertas consideratur in potentia cum omnibus requisitis ad agendum, quæ est potentia proxima, quæ omnia ex dictis in prolegomeno 1 manifesta sunt.

5. Jam ergo probatur minor ex duplici capite seu principio in aliorum sententia. Primo, quia, qui in hoc instanti non servat præceptum, prius natura quam habeat actum vel omissionem liberam contrariam præcepto, caret prædeterminante auxilio ad actum quo servandum esset præceptum; ergo caret potestate proxima ad illud servandum; hanc enim complet auxilium prædeterminans, dat

enim posse, ut illi negare non possunt. Et licet non daret posse, sed tantum esset necessarium ad agere, qui illud non habet datum, non habet etiam oblatum, neque ullo modo illud habet in sua potestate proxima; ergo ex hac etiam parte caret potestate proxima ad servandum præceptum. Et consequenter e converso præceptum est illi ad observandum impossibile. Secundo, ex alio capite, quia illemet homo, prius natura quam in alterutram partem servandi vel violandi præceptum determinetur, prædeterminatur a Deo ad actum nolendi servare præceptum; ergo eo ipso, in illo priori naturæ caret potestate proxima ad servandum præceptum, et est illi ad observandum impossibile. Probatur hæc consequentia, quia cum tali prædeterminatione est impossibile conjungere volitionem servandi præceptum, quia impossibile est cum tali prædeterminatione non conjungi actum ad quem prædeterminat, qui actus est impossibilis cum alio quo servandum esset præceptum.

6. Neque hic potest applicari distinctio de actu materiali, vel formalitate peccati, quia satis est prædeterminatio ad actum materiale nolendi, ut volitio contraria sit impossibilis cum tali prædeterminatione. Nec etiam hic habet locum distinctio de sensu composito et diviso, quia potentia in sensu tantum diviso non est potentia proxima, neque est sufficiens ad libertatem, ut satis jam ostensum est. Hoc ergo argumentum efficaciter, ut credo, convincit necessitatem prædeterminationis physice esse contrariam possibilitati mandatorum, quam Concilium definit. Verumtamen si quis consideret, hoc argumentum coincidit cum supra facto de sufficientia auxilii, quia si necessarium est auxilium prædeterminans, sine illo non datur auxilium sufficiens, et hinc consequenter fit ut præcepti observatio fiat impossibilis non servanti illud. Solum ergo in præsentia additur, illud consequens esse contra doctrinam Concilii. Addi etiam potest inde sequi transgressionem præcepti non esse liberam, nec posse ad culpam imputari, quia si consistat in omissione, necessario sequitur ex carentia prædeterminationis; si vero sit in actu positivo, hic necessario habetur, posita prædeterminatione, quam vitare non potest homo, si Deus illam imprimat. Et hæc argumenta variis modis urget et locupletat Diotalevius, cap. 5.

7. *Ponderatur locus Concilii, Deum non deserere justum, nisi prius deseratur ab ipso.* — Tertio, ponderari potest quod idem Concilium,